



731b  
26.  
1675 35  
12  
Q. D. B. V.

DISPUTATIO JURIDICA IV.

AD

Libr. IX. Tit. I. & II. ubi

de Noxiâ animalium & Lege Aquiliâ,

selectiores quædam Leges,

QUAM

CONSENTIENTE MAGNIFICO

JCTORUM ORDINE,

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTIS-

SIMO atq; EXCELLENTISSIMO,

DN. GODOFREDO Strauß /

Philosoph. & J. U. D. Institutionum Prof. Publ. longè ce-  
leberrimo, Curia Elector. Scabinatus & Inclyta Facultatis Juri-  
dicæ Assessore Gravissimo.

Patrono, Fautore ac studiorum suorum Promotore omni obser-  
vantia cultu de venerando.

publice ventilandam exhibet

PAULUS HERMANNUS,

Torgâ-Misn.

IN AUDITORIO JCTORUM,

Ad diem II. Decembr. Anno MDC LXXV.

WITTEBERGÆ,

STANNO WILCKIANO.

INCLYTÆ REIPUBL. TORGENSIS  
PROCERIBUS SPECTATISSIMIS,  
VIRIS

*Nobilissimis, Consultissimis, Experientissimo, Amplissimis, eru-  
ditiōne, prudentiā & rerum magnarum usu maximè  
conspicuis,*

DNN. { CONSULIBUS,  
PRÆTORIBUS,  
ÆDILIBVS,  
CAMERARIIS.

Ac reliquis Ordinis Senatorii Assessorib9  
multò gravissimis,

*DNN. PATRONIS, MECOENATIBUS indefatigabili  
observantiæ cultu prosequendis,*

Disputationem hanc sacram vult ut de-  
bitæ gratitudinis & obsequii re stem

PAULUS HERMANNUS, LL. Stud.



JESU JUVA!

LIB. IX. TIT. I.

*Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.*

*Ad L. 1. §. 4. & 7.*



**N** §. 4. determinatur subiectum, in quo demum actio hæc quadrupedaria locum habeat. Id quod evenit tum, quando quadrupes feritate, seu uti deinceps habet JCtus in §. 7. contra naturam sui generis seu contra naturalem consuetudinem omnium ejus generis animalium commota pauperiem fecit. conf. Wissenbach. ad h. t. ff th 2. Atq; ita

in proclivi est, quod actio hæc haudquaquam fundetur in culpâ domini animalis, sed in eo, quod animal licet ratione carens ex ipsa re seu damno dato obnoxium fiat. Ut hinc dominus vel illud dedere, aut æstimationem damni restituendo, lucere habeat necesse. Dn. Struv. Ex 14. ad ff th 8. Id quod adjecta exempla equi calentrosi & bovis cornu petere soliti nec non mula lascivientis seu blandè saltantis & hujusmodi juvenilia luxuriosè facientis juxta Dn. Thomam in Tract. de nox. animal. cap. 3. n. 74. seqq. luculenter comprobant: Si quidem eadem animalia citra dominorum culpam ut nunc quidem est, contra naturalem sui mansuetudinem ex ferocia ac contracto quasi vitio naturam bestiarum induentia ad damnum dandum præcipitantur. conf. Vinn. ad pr. inst. h. t. & Bachov. ibid. Nam & casus à contrario statim JCtus annectit, quod nempe cesset actio hæc quadrupedaria. Si propter loci iniquitatem quadrupes nocuerit. Ubi quidem hætenus consentio Glossæ ad h. l. quæ iniquitatem loci ad asperitatem hic vel duritiem interpretatur: sed quando eadem, quod sic culpa hominis ducentis damnum dari intelligatur, annectit, hæsitare paululum liceat propter sequentia JCti verba in hoc textu: *Quod si propter loci iniquitatem aut culpam mulionis &c.* quæ disertè arguunt quod JCtus casus illos distingvat, quando propter loci iniquitatem & culpâ mulionis damnum fit

A 2 datum:

11-  
S,  
S,  
S,  
9  
le-  
n  
ud.



datum: Ergo à priori casu culpam abesse oportet. Alias non dis-  
junctivè sed copulative locutus Jctus fuisset. Evolvi Autores pene  
multos, sed neuter id dubii vel tangit ex fundamento, nedum sol-  
vit. Consultiss. Dn. Brunnemannus quidem ad h.l. modum solven-  
di suppeditasse videtur, quando hæc in genere: ad h. §. n. 7. 8. com-  
mentatur: *ut autem actio de pauperie detur, requiritur ut non facta  
sit ex casu fortuito, nec ex vi extrinseca aut manifesta hominis culpa  
etiam levisima &c.* Similia fermè Dn. Thoma c. L. n. 80. sequent-  
tradit. *Octavum requisitum ex priori inferitur, ut casus fortuitus ab-  
sit & vis extrinseca & hominis culpa: ubi porro addit; casum fortui-  
tum intelligimus per quandam similitudinem, ut respectu animalis di-  
catur secundum analogiam casus fortuiti, qui ita dicitur respectu ho-  
minis.* Exemplum hanc in rem Gothofred. ad h. text. n. 14. suppedi-  
tare videbatur ex L. 52. §. 2. ad Leg. Aquiliam ibi: *Quod si neq; mula  
neq; homines in causa essent; sed mula retinere onus nequivissent aut  
cum conniterentur lapsæ concidissent & ideo plostrum cessim redisset,  
atq; hi quo conversum fuisset onus sustinere nequivissent, neq; cum domi-  
no mularum neq; cum hominibus esse actionem &c.* Ratio est, quoni-  
am ea quæ ex improvise casu accidunt fato imputanda sunt, non  
noxæ L. 1. C. ad L. Cornel. de Sicar. nam & casus à prudentissimis  
prævideri nequeunt, vid. c. 23. X. de Homicid. vol. vel casual. conf.  
Perez. ad c. t. C. n. 45. Quæ explicatio fortean esset satis commoda, ni-  
si prædicatum commune quod subsequitur, hæc liquida omnia tur-  
baret. Textus enim ait, quod in hoc & cæteris annexis casibus da-  
mni injuriæ agatur i. e. Actio L. Aquil. concedatur. Et hoc argu-  
mento infervit utrobique culpam subesse. Id quod eleganter adum-  
bravit Zoësius ad h. t. ff. n. 4. his verbis: *Quomodo hæc actio cessabit  
si propter loci iniquitatem aut plus justo oneratum aut etiam per aliū  
irritatum damnum dederit animal eritq; locus Aquilia contra eum,  
qui in culpa.* Ut verò hic casus à sequenti, quando culpa mulionis  
damnum dedit quadrupes, nihilominus disjungatur, supponendum  
erit, quod alterius quam mulionis culpa seu instigatu in iniquitatē  
loci eadem inciderit: nam & tunc non locum habet actio quadru-  
pedaria L. 1. §. 6. h. t. sed ex Lege Aquilia agendum erit prout etiam  
hunc textum explicare videtur Colleg. Argent. h. t. th. 8. & Busius ad  
h. L. 1. n. 3. Alter casus, quo pariter cessat hæc actio porro statuitur  
in culpa mulionis, quæ in notione latiori hic capitur, ut etiam im-  
peri-

peritiam in sese contineat. Mulio enim si per imperitiam impetum  
mularum retinere non potuerit & ea alienum hominem obriverint,  
vulgò dicitur culpa nomine teneri. Idemq; dicitur si propter infirmi-  
tatem sustinere mularum impetum non potuerit. Nec videtur iniquum  
quod infirmitas culpa annumeretur: Cum affectare quisq; non debeat  
in quo vel intelligit vel intelligere debet infirmitatem suam alii pericu-  
losam futuram. L. 8. §. 1. ad Leg. Aquil. Simile exemplum reperitur  
in L. 52. §. 2. eod. ibi: veluti si quis asellum cum agitasset non reti-  
nuisset. Tertius demum casus, quo in h. §. deficere dicitur hæc actio  
quadrupedaria est, si bestia plus justo onerata in aliquem onus ever-  
terit, qui articulus cum priori convenit, quod pariter & hic culpa  
in plus justo onerando quadrupedem se dat ad manum, in eo vero  
discrepat, quod alius hic quam mulio imposuisse onus mulæ existi-  
mandus sit, alias præsens casus sub præcedente comprehenderetur  
& nullâ hinc contra distinctione fuisset opus. Cæterum ratio hujus  
membri est, quod imprudentiæ nota sit plus gravare animalia, quã  
vires ipsorum ferre queant. Jam subsequitur prædicatum in textu,  
quod in recensitis casibus cesset actio hæc quadrupedaria damniq;  
injuriæ i. e. propter damnum injuriæ datum agi debeat: Genitivus  
siquidem more veterum pro Ablativo hic appositus est notante,  
Borcholten ad pr. J. de L. Aquil. Ratio vero generalis quod hisce  
casibus cesset, præsens & competat. Leg. Aquil. actio est, quoniam  
quadrupedis vitium hic nullum cernitur; sed causa extrinseca, qua  
damnum datum, intervenit, quæ quadrupedem ipsam si culpæ ca-  
pax esset, inculpatam faceret. Sicut ergò ipsa propter culpam ali-  
unde obvenientem si conveniri posset in ejusmodi casibus non te-  
neretur: ita nec dominus, qui per consequentiam damnum luere  
vel noxam dedere cogitur ad noxæ deditioem jure adstringetur:  
Siquidem utriusq; hic eadem debet esse ratio. Quandoquidem verò  
damnum revera datum & id passo omnino resarciendum propter  
culpam, actio Legis Aquil. quæ eandem culpam vindicat omnino  
locum sibi vindicabit. Qui enim occasionem damni præstat, ipsum  
damnum dedisse videtur L. 30. §. in hac actione ad L. Aquil. conf.  
Anton. Fabr. in Rational. ad h. L.

Ad §. 10. 12. & 5.

Cessat quoq; actio nostra in feris bestiis idq; ubi statim adjicie  
Ictus propter naturalem feritatem. Quasi dicat ipse animalia hæc  
dum

A 3

dum saviunt, omni culpâ vacare videntur; siquidem secundum naturam suam ferociunt. Vitium ergò naturale non est culpa; sed natura, quæ oppido redargueretur, si feritas naturalis hanc actionem promereret. Mornacius ad h. text. Dn. Thom. Tr. de Nox. animal. c. 3. n. 39. Insequitur jam exemplum in Urso. Si ursus fugit & sic nocuit, non potest quondam dominus conveniri. Ratio, quia desinit Dominus esse, ubi fera evasit, quia potius eadem in naturalem quasi libertatem restituta censetur, ut & occidenti eadem acquiratur h. §. Non ergò potest competere quadrupedaria actio, quæ saltem contra dominum animalis locum invenit. Nam & in quadrupedibus noxa caput sequitur, indeq; adversus dominum hæc actio datur, non cujus fuerit quadrupes cum noereret; Sed cujus nunc est L. 1. §. 2. h. t. conf. Dn. Struv. Ex. 14. ad ff. th. II. Sed quid de casu inverso, quando nempe ursus cum adhuc in potestate esset, nocuit? adhuc cessabit hæc actio; quippe quæ in casum, quo genitali feritate damnum datur concepta non est. Conf. Bachov. ad pr. J. h. Interim postremo hocce casu, quamvis directa actio exulet, utilem tamen de pauperie actionem concedi, Dd. communiter tradunt. Wesemb. Ludvvel. Bachov. & Vinn. Harprecht, Frantz. ad pr. J. h. t. Hahn. ad Wesemb. in ff. h. t. n. 3. Dn. Lauterbach. Concl. For. Ex. 19. th. 4. Intermedius deniq; casus est, si ursus fugerit postquam nocuisset. Atq; & tum exulabit hæc actio, quia ursus instar servi manumissi est, nec amplius noxæ dedit quæ evasit fera potest. Bachov. & Vinn. c. 1. Plane si bestia ex negligenti domini custodia eruperit & sic nocuerit, cum diligentius custodiri & firmitus retineri potuisset, contra Dominum ex L. Aquil. agatur. L. 1. §. 5. h. t. quandoq; etiam adilitia stabit actio juxta tenorem §. 1. J. h. t. conf. Dn. Struv. Ex. 14. ad ff. th. 2. ubi tradit, quod si depascendo fruges feræ bestię damnum dent, superiores jus venandi exercentes, meritò se benignos erga eos, quorum segetes à feris depastæ, se exhibere debere. Ex adverso si Dominus signo aliquo consueto prætereuntes vel occurrentes moneat, ut ab animalis feritate vel protervitate sibi caveant, de damno postea ab animali illo dato haud tenetur. arg. L. 1. §. 5. L. 2. §. 1. h. t. L. 52. §. 3. ad L. Aquil. Carpzov. Pract. Crim. in. p. 3. qv. 131. n. 26 Dn. Lauterbach. concl. For. Ex. 19. th. 6.

§. II. Duo arietes vel boves invicem committuntur & unus alterum occidit, quæritur an hæc actio competat? Respondet Ictus  
disting.



distinguendo, utrū is perierit, qui aggressus alterū erat & cessare actionē: an verò is occubuerit, qui nō provocaverat & competere actionem hanc, indeq; aut noxā i. e. damnum sarcendum à domino, vel eundem bovem provocantem ac petulantem dedere oportere. Ratio dubitandi esse poterat, quod pugna hæc fuerit suscepta inter bestias, inter quas nullum jus, nulla injuria nec actio ulla pr. J. h. t. in fin. arg. §. fin. J. de J. N. G. & C. sed rationi decidendi inservit, quod hic non ipsæ tantum bestia, sed quorum interest domini earundem insimul spectandi veniant. Et quemadmodum negari non potest à provocante ariete pauperiem factam fuisse: ita ejusdem Dominus omninò actione hæc tenebitur. conf. Anton. Faber. in rational. ad h. §. Altero verò casu omninò deficiet actio, quia provocatus bos nō proprio motu & contra naturā, sed concitatus ac defensionis gratia damnū dedit arg. L. 3. de J. & J. Conf. Struv. Ex. 14. ad ff. th. 13. Quod si vero non appareat, uter aries adortus fuerit alterum, tunc vero fatale damnum præsumitur & neuter obligatus censetur arg. L. scientiam. 45. §. stramenta 3. ff. ad L. Aquil. conf. Paul. Busium ad h. text. ubi ex Bartol. insimul annotat, quod si duo inter se pacem inierint, sub certa poena eum teneri qui prius eam violavit, alteri in nō item. Quod si verò in obscuro sit uter prius ruperit neutrum in poenam incidisse arg. d. L. quoniam & alias regulariter mutua delicta inter se compensentur L. Viro. 39. L. cum mulier 47. solut. matr. Quæ quidem argumentatio ex hoc textu nimis longe mihi videtur esse petita. Atqui nec illud satis capio, quod notat sibi Dn. Brunne- mann ad h. L. n. 22. conclusum scilicet esse die 14 Mart. Anno 48. Ex h. §. eum, qui modum in retorsione excedit non teneri, eò, quod principium rixæ attendendum sit. Præterquam enim quod ab actibus bestiarum, ad actiones hominum non placeat argumentatio, & domini animalis in vasi hic ideo ab actione de pauperie pronuncietur immunis, quoniam brutum defensionis modum discernere nescit; Carpzovio in Jpr. For. p. 4. C. 12. D. §. n. 12. quem laudavit Dn. Brunne- mann. c. l. traditum hocce ibidem nō habet, sed saltem statuit ob circumstantiarum varietatem excessui moderaminis inculpatæ tutelæ nunquam certam poenam posse definiri, ut proinde hæc in re multum tribuendum sit judicis arbitrio. Neutiquam verò defendit, quod excedens modum in retorsione planè non teneatur. Sive enim retorsio hic exaudiatur de defensione corporis, de qua quidem

dem

dem agit Carpz. c. loc. sive juxta usum communem de Injuriarum  
retorsione nullibi excessus in totum impunis est. Nam qui in de-  
fensione corporis limites inculpatæ tutelæ excedit, poenam effu-  
gere nequit. Conf. fusè Carpz. in Pract. Crim. p. 1. q. 29. pariter si in  
retorqvendis injuriis cernatur excessus, injuria non repellitur per  
injuriam sed uterq; de sua injuria agere potest. Vid. Carpz. c. l. q. 97.  
n. 42. seqq.

*Ad §. 13. & 16.*

Titii bos Caji bovem invasit eumq; occidit, Cajuus eo nomine  
contra Titium instituit actionem de pauperie, anteqvam verò hic  
contestetur litē moritur bos provocans, quærebatur an nihilomi-  
nus actio de pauperie contra Titium competat? Et responderetur a-  
ctionem istam per mortem bovis esse extinctam, quia fundamentū  
actionis hujus contra Dominum intentandæ est animal, quo subla-  
to & ipsam tolli necesse est. vid. Dn. Struv. Ex. 14. th. 8. nec enim  
Dominum invitum ultra quadrupedem teneri æquum videbatur.  
conf. Hahn. ad Wesemb. h. t. prope fin. Sed dixeris, ita quidem  
res est in vado si citra culpam Domini casu interierit quadrupes  
noxa, quid verò si culpa Domini intervenerit vel casum præcesse-  
rit? Nobiliss. Dn. Thoma Tr. de Nox. animal. cap. 13. n. 9. seqq. ex-  
ceptâ levisimâ culpâ, de reliquis culparum gradibus teneri Domi-  
num cum Bernhard. Scotan. in Exam Jurid. ad h. t. statuit arg. L. si  
culpa. 63. L. qui petitorio. 36. §. 1. de R. V. Contra quam sentiunt  
Dn. Brunnemann. ad L. 1. h. t. n. 25. Dn. Struv. h. t. th. 17. quod nempe  
cesset hîc actio quæcunq; demum culpa intervenerit modo domi-  
nus non deserit dolo possidere aut moram in accipiendo judicio  
fecerit. Rationes quas affert Dn. Struv. sunt hæc 1. quod nulla lex  
circa hanc rem inter casum & culpam distingvat. nam & 2. funda-  
mentum actionis hujus instituendæ (quod & Dn. Brunnemann. ur-  
get) esse, quod quis habeat animal, quæ causa cesset, sive casu, sive  
culpa animal ante litis contestationem interierit. Accedere 3. quod  
is, qui dolo fecit quo minus haberet L. 12. L. 21. pr. de Nox. act. nec  
non, qui moram fecit in judicio accipiendo L. 26. §. 4. eod. adhuc  
possidere videantur. Unde concludere licebit, quod propter cul-  
pam commissam aliquis non intelligatur possidere amplius: siqui-  
dem exceptio confirmat regulam in casibus non exceptis. Quæ  
quidem sententia mihi semper magis placuit, quam altera. Nam  
medi-

meditanti ad hoc thema porrò & id succurrebat, quod odiosum sit dominum teneri propter factum quadrupedis suæ adeoque hoc temere non sit extendendum, præprimis quia noxæ deditio ex jure civili est, & dominus animalis nisi culpa jus accesserit, naturâ ad nihil tenetur juxta Grot. de I. B. & P. lib. 2. c. 17. §. 21. Ut hinc satis iniquum videatur, dominum & animali privari & præterea ejusdem ex solvere teneri æstimationem, arg. §. 16. Casus contrarius pariter nostram stabilit opinionem. quod si post litem contestatam domini dolo culpave animal interierit in noxiæ æstimationem dominus sit condemnandus arg. §. 16. L. 1. h. t. per litis enim contestationem quasi contrahitur indeq; actio perpetuatur L. 3. §. 17. de pecul.

*Ad §. 14.*

In hoc §. potissimum describitur & explicatur quid sit noxæ dedere, animal scil. vivum tradere: ubi quæstio ventilari solet practica, utrum & hodie hæc noxæ deditio adhuc sit in usu? Paulus Badius equidem ad L. 1. §. 13. n. 2. moribus hujus seculi noxæ deditio nem vix usurpatam esse existimat. Ordinatione enim Imperii provisum esse, ut pauperies æstimeretur eamq; noxæ dominus ex arbitrio boni viri seu judicis rependat Ordin. Imper. cap. 130. Cum Badius sentit Wesemb. ad h. t. n. 6. & Schulz in synopl. ad h. t. Inst. Lit. A. Schnobel. disp. 7. ad ff. th. 1. sed huic sententiæ se opponit Hahn ad Wesemb. h. t. n. 6. contendens Constit. Car. V. Crim. art. 136. (nam eam procul dubio per constitutionem Imperii hic intellexit Badius) non pertinere ad hanc actionem, quia iste art. agat de animalibus ferocibus, de quorum ferocia vel constet & sit genitilis vel quæ saltem metuatur cujusmodi non sint Equi, Sues, Boves &c. Præterea nihil disponit Constitutio criminalis circa civilem actionem, sed criminale saltem judicium firmat, jam criminalis actio civilem haudquaquam tollit arg. L. un. C. quando civiles action. crim. præjud. conf. Dn. Thomam c. t. supr. loc. cap. 10. n. 32. Coll. Argentor. h. t. th. 14. Neque in diversum adeò abit Carpzovius in Pract. Crim. l. 3. q. 131. ubi cum n. 18 sententiam juris civilis retulisset, deinceps num. 21. hæc subdit: *Præterea & sanctio Carolina puniri jubet eum, qui sciens animal ad nocendum proclive retinet & sic damnum, quod occidendo animal istud præcavere potuisset non avertit. Ordinat. Crim. art. 136.* Nec igitur sanctionem juris civilis per Carolinam abrogatam propungnat, quin potius eandem ad pœnam quoque haud

B

obscu-

obscure coarctat. Tuto hinc cum Dn. Lauterb. concl. For. Ex. 16. th. 9. concludero: in actione quadrupedaria reo etiam hodie competere electionem an animal noxae dedere, an vero damni aestimationem solvere velit. L. 1. h. t. pr. J. eod. Sane jure saxonico noxae quidem deditio vix amplius frequentatur, est tamen in usu similis ei expulsio animalis, quod nocuit eademque in continenti postquam dominus pauperiem ab animali suo esse factam rescivit, fieri debet. Landr. lib. 2. art. 40. post pr. Schlegt er es aber auß / und hauset noch hofet es nicht / noch ähet und tränckt es nicht / so ist er unschuldig an den Schaden / so unterwinde sichs jener an seinem Schaden / ob er will: Quae posteriora verba satis inuunt, quod animal expulsum ad eum spectet, cui damnum illatum si scil. ipse habere velit Carpzov. c. 1. n. 19. sequent. Ex adverso qui recepit animal noxium postquam expertus est, damnum ab ipso datum fuisse, noxae deditio defungi non poterit; sed damni aestimationem praestare adiget. Landr. lib. 2. artic. 40. pr. Nimm der Herr das Thier / nach der Zeit / als er es erfähret / daß es Schaden gethan / wieder an sein Gewehr / Er soll den Schaden gelten nach seinem rechten Wehrgelde conf. Carpzov. c. 1. Schultz in synops. ad h. t. lit. A. Dn. Struv. Exer. 14. ad ff. th. 14. Wesemb. ad ff. h. t. n. 6. Amadeus Eckolt eod. §. 3. Dn. Thoma c. 1. cap. 10. n. 35. ubi insimul quomodo expulsio ista à deditioe noxae jure civili usitata differat, demonstrat.

Ad L. 3. In hoc textu primum per modum ampliacionis formatur regula, etiam liberarum personarum nomine agi posse: exemplum statim subnectitur, utpote si patrem famil. vel filium fam. vulneravit quadrupes. Sed cum metueret Ictus forte sibi objectum iri, liberum Corpus non recipere aestimationem L. 1. pr. ad L. Aquil. L. 1. §. sed cum liber. 5. & L. ult. de his qui dej. vel effud L. 2. §. 3. de Leg. Rhod. de jact. adeoque inde ad denegationem actionis de pauperie concludi posse: nam pone dominum animalis noxii id dedere nolle, sed paratum esse ad damni aestimationem praestandam; tum vero cum liberi hominis corpus non possit aestimari deficere plane & inutilis futura haec actio videbatur; diluit idem statim objectionem istam supponendo terminos habiles, quibus competere haec actio possit, cum remotivè quod hic non deformitatis habeatur ratio, tum positivè, quod potius tunc actio haec eo tendat, ut impensae in curationem factae refundantur ee operarum aestimatio amif-

amissarum fiat §. 11. Instit. de Obl. quæ quasi ex delict. nasc. L. 5. §. 5. in  
fin. de his qui dejecer. vel effud. Dum deformitatis consideratio pla-  
ne hinc removetur, quæri poterat an in Virginibus formosis & fœ-  
minis non nuptis aliud sit dicendum? Equidem textus noster sal-  
tem patris fam. & filii fam. meminit, de sexu fœmineo statuit nihil.  
Id quod argumento esse videbatur, in eodem deformitatem omni-  
no attendi debere. Unde Zöes ad h. t. n. 3. sibi, notat, quod de defor-  
mitate hic legitur in mare admittendum esse, non etiam infœmi-  
na, cui deformitas illata per cicatricem sit damnosa, ut omnino  
reparationem desideret. Ipsam enim non nisi cum majori dote ma-  
ritum inventuram. Sed verò de ingentis speciei virginibus & bonæ  
formæ innuptis fœminis nihil diversi hic à regula statuendum, per-  
suasissimum mihi habeo: siquidem textus noster generaliter lo-  
quitur nec inter mares & fœminas distingvit, adeoque nec nostrum  
erit distingvere L. 8. de pub. in rem act. quin potius alibi in L. ult. de  
his qui effud. vel dejec. disertè scriptum reperitur quod cicatricem  
aut deformitatis nulla fiat æstimatione, quia liberum corpus nullam  
recipiat æstimationem tum quoque sermo masculinus etiam fœmi-  
neum complectitur L. 1. L. 52. de V. S. L. 116. eod. L. 62. de Leg. 3. Et in-  
dignum denique fœmina ingenua est non virtute; sed formam vel pe-  
cuniam maritum quærere sibi velie. conf. Dn. Lauterbach. conclus. For  
Ex 19. th. 7. Dn. Thomam c. l. cap. 9. n. 14. 15. Perinde si liber homo oc-  
ciscus fuerit per quadrupedem heres ejus eo nomine experiri haud  
poterit. Quod enim corpori libero damni datur jure hereditario  
transire ad successores non debet, cum in libero corpore non cense-  
atur datum damnum pecuniarium L. 5. §. 5. de his qui dej. vel effud.  
conf. Struv. Ex. 14. ad ff. th. 14. Contrarium noviter tenet, & dictos  
Autores confutat Dn. Brunne-man ad h. l. his verbis: *sed si homo  
occisus est ab eo, qui quidam à domo effudit & dejecit datur actio ex bono  
& æquo, cur non etiam ex bono & æquo daretur actio viduæ liberis. pa-  
rentibus, de marito, Patre aut liberis, à quadrupede occisis?* Mal-  
lem ab initio Dn. Brunne-mann adjecisse hanc in rem textus. ex qui-  
bus antecedens suum velit probare, nam quando per dejectionem  
vel effusionem liber homo perit, actio de dejecto vel effuso intra an-  
num duntaxat competit cuilibet de populo, heredi verò similibusque  
personis aut successoribus non datur. L. 5. §. 5. de his qui dej. vel effud.  
Et quamvis actio hæc ex bono & æquo oriri dicatur in cit. §. 5. in fin.

tamen Ictus ibi de altero loquitur casu, quando nempe libero corpori nocitum fuit. A. casu ergo ad casum hic non potest fieri extensio. Atqui & hoc altero casu actionem istam ad heredes transire diserte negatur in cit. §. 5. Fac tandem actionem de dejecto & effuso continuari in heredes ob occisum liberum hominem, tamen inde non statim debebat fieri illatio ad actionem quadrupedariam. Si quidem versamur hic in odiosis, quæ dilatationes ejusmodi respuunt Conf. Frank tit. de LL. n. 51. seqq. Bene hanc in rem differit Dn. Th. tr. de Nox. animal. cap. 9. n. 28. *Enim verò si quodvis commodum speratum ad actionem L. Aq. aut quadrupedariam sufficeret, bone Deus quis reus foret solvendo? Ageret qui donum aliquando speravit ab occiso aut manuculo, qui promotionem ab eo expectavit sponsa ob ereptam propter nuptias donationem parasitus ob epulas, famuli, sutores & sartores ob mercedes interversas alius ob aliam quamcumque spem decollantem quibus e quidem omnibus tribus quis verbis ex d. L. §. 5 de his qui effud. vel dej. respondebit reus, nullum damnum in libero corpore versari datum pecuniarium, Plane jure Saxon. etiam liberi hominis quandam quasi æstimationem quandoque solvendam esse ex Land. lib. 3. art. 45. vers. ein sealtich haud obscure patescit. Unde Carpzov. in Pract. Crim. p. 3 q. 31 n. 21. præjudicium recenset, in quo bovis dominus occidentis puellam ad dimidium Wehrgeldi condemnatus fuit Conf. Dn. Thom. c. l. n. 33. seqq.*

## Tit. II. Ad Legem Aquiliam.

*Ad L. 5. §. fin. L. 6. & 7. pr.*

Duo potissimum casus hic se offerunt, quorum alter ad servum, alter ad liberum hominem sive occisum seu vulneratum spectat. Titio servum suum Stichum Sempronio in arte quadam instituendum tradidit dum Stichum in eadem erudit Magister, non capit iste vocem monentis vel præeuntem imitari detrectat, Magister ad hæc indignatus vulnerat Stichum vel occidit planè, quærebatur an magister propterea Lege Aquilia teneatur, quasi damnum injuriam dederit? Et respondet Ictio quod sic. Ac argumentatur à minori hinc ad majus, quod Aquiliam teneatur, qui eluscaverit discipulum in disciplina, vel ut Ictio loquitur in L. 3. in fin. de Condict. tritic. eluscatum dederit. h. e. luscum fecerit eundem, seu alterius oculi lumine privaverit, multo, igitur magis in occiso idem esse dicendum. Rationes uberiores vide-

videbo, deinceps post alterum casum, qui talis est: Titio filium suum Pamphilum Sempronio tradit in arte sutoria informandum, hic demonstrat Pamphilo, quo modo aptare calceum debeat, iste parum feliciter imitatur magistrum, hinc ipse pertaso rudem ac indocilem ejusdem hebetudinem forma seu machinula calcei cervicem discipuli percutit, ut oculus ipsi perfundatur, seu uti ex L. 13. §. 4. Locat. legendum esse apparet, effodiatur, quæritur an & qualis eo nomine competat actio? Respondet J. C. cum per remotionem, tum per positionem. Per remotionem, quod non competat eo nomine injuriarum actio adversus magistrum, quoniam actiones omnes humanæ ex fine suo sunt æstimandæ. L. 1. §. 6. de postul. jam non faciendæ injuriæ causa percussit magister, sed monendi seu docendi, ut hinc animus injuriandi plane exuletur, qui tñ. ad injuriarum actionem omninò desideratur, L. 3. §. 1. §. 3. 4. L. 44. ff. de Injur. sed an ex locato detur actio porro, quærit J. C. Et in præsens quidem rationem saltem dubitandi allegat, quod videatur cessare locati actio, cum levis castigatio docenti sit permessa. Verbera enim à Magistro illata vel parente impunita sunt, quoniam emendationis non injuriæ gratiâ videntur adhiberi. L. 16. §. 2. de Pœn. Interim & hanc actionem intentari posse contra magistrum in L. 13. §. 4. Locat. annexâ simul ratione decidendi præclare traditur his verbis: *Si sutor puerum parum beneficienti forma calcei tam vehementer cervicem percussit, ut ei oculus effunderetur, ex Locato esse actionem Patri ejus: quamvis levis castigatio concessa sit, tamen hunc modum non tenuisse. Sed & de Aquilia supra diximus.* Memor igitur J. C. Ulpianus nostri textum utramq; actionem stabilit, quamvis de actione locati in nostro textu dubitaverit, in quo lege Aquilia indubitato agi posse adstruit. Rationem per modum regulæ seu brocardici cujusdam eleganter effert, quod Præceptoris nimia sævitia culpæ annumeretur. Debebat enim in levi hætenus castigatione subsistere magister, non ad eam temerè prolabi, quæ puerum cicatricibus deformare queat. L. 17. §. de Usufr. dict. L. 13. §. 4. Respondet benè Anton Faber in Rational. ad h. L. *Modus tenendus est, ut ne quid nimis. Hic autem modum non tenuit, qui tam atrociter puerum percussit. Nec verò difficilius aut majus quicquam est in ipsa etiam sapientia, quam tenere modum.* Posset jam hîc disputari quomodo actio Legis Aquiliæ & ex Locato invicem, concurrant: sed quoniam in hoc textu ad Legis Aquil. potissimum

num, actionem respicit Jctus utramq; verò in cit. L. 13. §. 4. Locat, concedit, eò etiam hujus decisionem controversiæ reservare allu- bescit. Ad ultimum observat. Dn. Brunnemann. ad h. text. n. 8. quod Carpzov. lib. 2. Jpr. Eccles: D. 212. probet ex hoc §. licitum esse marito verberibus coercere uxorem; se vero vim argumenti istius non sa- tis capere. Evolvi Carpz. & traditum quidem istud ibidem repperi; sed quod ex h. §. id velit ipse adstruere haudquaquã. Quin potius ad Gloss. in hanc L. provocavit, quæ ipsa etiam ad rationem hic allatã, quod levis duntaxat castigatio concessa sit docenti, per modum ex- tensionis adjicit, quod pariter etiam marito ea indulgenda veniat. Adeoq; §. hunc ad thema istud probandum non allegavit ipse Carpzov. Nec vero Glossæ argumentatio adeo absona videri pote- rat. Postquam enim certum est, quod marito in uxorem maritalis competat potestas, id quod effectus demonstrat actio scil. præjudi- cialis L. 3. §. 4. de agnot. & alend. liber, quæ ex jure familiæ hic descendit vid. Vinn. ad §. 14. J. de action. n. 1. & 6. & quod ei reveren- tia sit exhibenda ab uxore L. 14. in fin. Sol. matr. huic verò obsequii gloria L. 1. §. 7. C. de Rei ux. act. & operæ obsequiales relictæ sunt. arg. L. 31. pr. & §. 1. ff. de Donat. int. Vir & Ux. quidni à minori po- testate docentis ad majorem conjugis arguere licuerit, quod ipse leviter castigare uxorem quoq; possit? Id quod per verbera hic in- nuat Carpzov. Nam ita ipse inferio c. l. D. 221. n. 1. se explicat in hunc modum. *Nequaquam adimenda est marito potestas uxorem castigandi, quam optimo jure tenet, modo fines castigationis non excedat.*

Ad L. 7. §. 4.

Antequam hic in rem ipsam nos intromittamus paucis videamus de Verbis: Mentionem injicit Jctus hic colluctationis per quam cõ- gressum colluctantium proculdubio intelligit. Erat v. lucta exerci- tatio quædam in loco Gymnasij peculiari nempe Palæstra sive porticu tecta, quæ xyftus vocabatur fieri solita, in qua luctatores bini nudi, uncti oleo & pulvere alpersi sese brachiis complicâtes invicem cõ- certantes, alter alterû dejicere humi contendebant. vid. Hieronym: Mercurial. de arte Gymnast. l. 2. c. 8. ubi p. 104. etiam schema habet. Per Pancratium quid insinuare voluerit hic Jctus nõ convenit inter Dd. uti videre est ap. Gloss & Gothofred ad hunc text. nec nõ Calep. in hoc verbo Mercurialem Budæum & alios Philologos. Glossa qui- dem hæc habet: *Colluctatio est dum simul luctabantur cum pugnis*  
vel



vel calcibus. Sed Pancratium, quando cum fustibus: vel verius dic.  
Colluctatio quando pugnantes non stant certo loco, sed pancratium est  
locus lignis circumdatus, in quo stant pugnantes, ut in pugilibus vide-  
mus. Gvilielmus Budæ9 in Annot. ad 24. ita: libr. Pand. ad hanc leg.  
p. m. 424. Pancratium certaminis genus est ex eo dictum, quod advoca-  
tis omnibus corporis viribus omniumq; nervorum contentione transi-  
gatur. Calcibus enim et cubitis non modo pugnis pancratiaste  
utebantur, omniq; impetendi prebendendiq; modo. Gothofredus ve-  
rò huic loco optime convenire existimat, si per pancratium hic ex-  
audiantur ludi, qui fiebant in pulvere recto stadio se percutiendo.  
Budæum refutat Ambros. Calepin. hoc verbo ubi hæc: Ergo Pan-  
cratiaste dici videntur, non qui, ut Budeo placet omnibus viribus cor-  
poris advocatis (omnibus enim hoc certatoribus commune est,) sed qui  
ratione omni decertant cum & alii certa ratione, & certis duntaxat  
membris depugnent. Et pro hac sententia citat Ulpianum in h. L.  
nec non Hottomannum & Pollucem, qui Pancratiaste omni certa-  
minis genere utentes dixerint. Non procul hinc abluere videtur,  
Gellius in Noct. Attic. lib. 13. cap. 26. ubi ista profert: Ad ea cavenda  
ac declinanda perinde esse, oportet animo semper prompto atq; inten-  
to, ut sunt athletarum, qui Pancratiaste vocantur. Nam sicut illi ad  
certandum vocati projectis altè brachiis consistunt: caputq; & os suū  
manibus oppositis quasi vallo premuniunt membraq; eorum omnia,  
priusquam pugna mota est, aut ad vitandos ictus cauta sunt, aut ad  
faciendos parata: ita animus atq; mens viri prudentis & c. Atqui &  
Johann Scapula in Lexico, hac voce ex Plutarcho Sympos lib. 2. c. 4.  
adstruit πανκράτιον esse mixtum ex pugillatu & lucta, cui concinit  
Alexander ab Alexandro Genial. Dierum lib. 3. cap. 9. his verbis:  
Pancratiasten verò cum dici volunt, qui luctator simul & pugil foret:  
quippe cum alii pugiles, alii luctatores forent, is qui utroq; teneatur,  
studio pugno scil. & lucta pancratiasticus nuncupatur & ubi exercen-  
tur pancratium. Paulo aliter adhuc Suidas, qui per pancratiaste in-  
telligi voluit athletas, πυκταςq; quod manib9 pedib9q; in pugillatu  
decertaverint Ludovicus Cælius Rhodigin. Lect. antiq. Lib. 13. c. 30.  
Lit. F. Optima mihi sententia, & textui nostro maximè congrua  
mihi videtur, quam fovet Hieronymus Mercurialis cit. Tract. de  
Art. Gymnast. lib. 2. cap. 8. lit. C. quod pancratium fuerit duplex, pri-  
mum ex lucta & pugillatu compositum: secundum volutatorium  
nuncu-

**nuncupatum** : Nam in lucta certantes sese dejicere studebant, recti-  
q; manebant, in pancratio autem volutatorio humi prosterneban-  
tur atq; ibi invicem complicati seq; mutuo convolventes alter al-  
terum sibi supponere nitebantur. Quod ipsum clarissime monstrat  
depictis nummis cujusdam Salustii Auctoris, qui sub Valentiniani  
& Placidæ Augustæ principatu Africæ regno, vi occupato ludos si-  
miles atq; alios ediderit. Unde in proclivi est, quod significatio  
Pancrati, quam Auctores supra allegati perhibent ad acceptionem  
latiorem spectet, qua adversarium quis & pugnis ferre & compri-  
mere, & continere & dejicere studebat. conf. Aristotel. 1. Rhetor.  
cap. 5. Hieronym. Mercurial. cit. loc. cap. 9. p. 109. lit. A. quæ hic ap-  
plicari nequit, quoniam pancratium luctæ & pugillatui contradi-  
stinguitur, quod fieri non posset, si per pancratium hic illa concer-  
tatio insinuaretur, quæ ex lucta & pugillatu erat composita. Nec  
quicquam facit, quod novi sit nihil speciebus enumeratis & ipsum  
genus subnectere: nam in ejusmodi casu genus & species non so-  
lent diferte, uti hic quidem fecit Jctus, disjungi, nec genus interferi  
sed vel præmitti vel postponi hactenus consuevit. Non tamen cui-  
quam obtrudam hanc sententiam, sed si quis pancratium pro cer-  
tamine ex lucta & pugillatu mixto usurpare, & huc applicare velit,  
me non habebit adeo repugnantem. Id modo advertere volui, quod  
subtilius Philosophando Mercurialis explicatio omnium optime  
quadrare huc videatur. Pugiles demum, quod attinet solebant ii-  
dem nudi concertare pugnisq; strictis vel nudis vel æneâ vel lapi-  
dea sphaera plenis vel loris laminave circumsepti sese invicem per-  
cutere modo caput, modo dorsum, modo brachia petentes, neq;  
unquam sese mutuo complicare: in qua pugna superabat, qui vel  
adversarium pugnorum ictibus in terram prosternebat, vel gravius  
& damnosius feriebat. conf. Hieronym. Mercurial. c. l. cap. 9. Jam  
videamus ipsum casum, Titius & Cajus vel colluctando vel in pan-  
cratio vel pugillatu sese exercent & unus alterum occidit, quæri-  
tur, num Legis Aquil. actio locum inveniat? Et discrimen statuit  
Jctus num in certamina publico alius alium interfecerit: an mi-  
nus. Priori casu cessare actionem hanc Jctus asseverat additâ  
hac ratione, quia gloriæ causâ & virtutis non injuriæ gratiâ videa-  
tur **damnum datum**. Nec enim omnes ludi jure civili erant pro-  
ibiti,

hibiti, sed 'qui virtutis causa suscipiebantur omnino liciti quales  
erant jaculatio hastæ vel pili sine cuspidē, colluctatio eorum  
curriculum &c. L. 3. C. de Aleator. ibiq; Wissenb. Atq; hic textus  
hodie adhuc in praxi feliciter applicatur: Quando enim lusus  
peragitur licitus videlicet saltando, currendo, hasta ludendo, col-  
luctando telum aut saxum projiciendo aut similia fortitudinis seu  
agilitatis corporis ostentandæ causa faciendo & exercendo tunc  
si ex illo sequatur homicidium pro casuali reputandum est e. g. si  
impulsus cadens fregerit sibi crus vel caput. Carpzov. in Pract.  
Crim. p. 1. q. 27. n. 22. Ibiq; cit. Prosper. Farinac. & Socin nec non  
Menoch. de Arbitr. Jud. quæst. lib. 2. Cent. 4. Cas. 400. Rauchbar.  
p. 2 q. 25. n. 12. ubi cum qui ita interficit alterum Wergeldo de  
Jure Saxon. multari posse statuit per §. lib. 2. art. 38. Modo di-  
cta applicat porro in textu Ictus ad subjecta nonnulla cum remo-  
tive tum positivè: Remotivè quod ea non valeant in servis, eo, quod  
ad ejusmodi virtutis certamina ingenui saltem admitterentur  
Cum vero servos hodie non habeamus amplius, non multum hic  
de iis, vel ratione, cur ad ludos haud fuerint habiles, ( quando-  
quidem alias hujus legis interpretario nimium excreveret ) labo-  
rabo. Occasione ipsorum id potius hic mihi noto ad quoslibet  
hodie ludos non admitti quoslibet. Hinc si in aulis Principum exer-  
citia jaculatoria quæ torneamenta vocantur, & alia id genus cer-  
tamina Equestria & militaria instituuntur, ad ea nobilibus tantum  
aditus patet Rauchbar. cit. quæst. 25. n. 5 Positivus casus est, quod  
si filiusfamil. in ejusmodi ludo fuerit vulneratus pariter cesset  
Legis Aquilæ actio, quoniam hac parte inter patresfam. & filiosfam.  
differentia apparet nulla. Aliusjam casus quo ex adverso  
legis Aquilæ actione experiri licet, succedit in partes si nempe quis  
cedentem vulneraverit: rationem reddit Anton. Faber. ad h. e. tex-  
tum, quod neq; virtus neq; gloria ulla fit cedentem & fugien-  
tem occidere cum ad gloriam istorum certaminum satis victori  
esse debuerit, quod cedere adversarium coegerit. Addit idem  
porro in hostili bello aliud esse, ubi non de gloria tantum cer-  
tetur, sed de summa rerum, deque salute Reipubl. sed verò ego  
inter certamina ejusmodi virtutis & bellum hostile hac quidem  
parte differentiam perspicio nullam. Nam potius à præliis ad  
pugna

¶

pugna

pugnas hæcæ concludendum videbatur, quod in cedentem depugnari ulterius non debeat. Equidem non licet hostem postquam captus est aut se dedidit occidere; sed arma adhuc tenentem neq; se volentem ~~pedere~~: quandoquidem in dedititium favire nefas censetur, neq; id boni Imperatores unquam permisere conf. Magnif. Dn. Zieglerus in Notis ad Grotium cap. 4. §. 12. certe Magnus Alexander non adversus calamitates sed hostium vires se contendere: armatumq; esse debere quæ oderit pronunciabat; nec cum mortuis bellum se gerere nobiliter Carolus V. respondebat: Pariter ipsa certamina inter cives commissa eandem naturam participant, cum nec alium fermè in finem suscipiantur, quam ut ita pugnantes hostibus eadem agilitate obviari addiscerent. Atq; huc spectat generale seu universalissimum potius principium, quod vim vi repellere liceat. L. 3. de J. & J. L. 1. §. vim. vi de vi & vi arm. Ubi ergo vis illata non est ibi nec declinanda venit arg. L. 45. §. Qui cum aliter h. t. Conf. Wissenbach. Disp. 4. ad Inst. th. 6. & 8. hic §. Ceterum articulus ad judiciales etiam actus non male transfertur. In cedentem enim ac confitentem nullæ sunt judicantis partes L. 25. §. fin. h. t. Quæ alias etiam in invitum redduntur L. 83. §. 1. de Verb. Obl. ubi enim nulla est contradictio nulla quoq; potest esse lis, ubi autem nulla est lis, ibi nulla ferri potest sententia. arg. L. 14. §. 1. C. de Judic. conf. Wissenb. ad tit. ff. de Confes. th. 18. Amadeus Eckolt ad ff. tit. de Judic. §. 6. & tit. de Confes. §. 4. Manet ergo fixum quod qui cedentem vulneravit actione Legis Aquiliæ conveniri queat, quoniam damnum injuria debet id quod evenit æque si extra certamen servum quis occiderit, nisi id domino permittente factum fuerit, tunc enim Legis Aquil. actio cessat siquidem hæc competit domino L. 11. §. 6. h. t. cui facta injuria & damnum illatum est. Jam domino consentienti nec injuria fit nec damnum. L. 9. §. 1. de Aqua & aq. plur. L. 203. de R. J. ibiq; Wissenb. Anton. Faber. ad h. text. Quando quidem ab initio hujus textus discrimen adstruximus, utrum in certamine publico quis alterum occiderit: an extra illud, breviter antequam abhinc discedamus adhuc advertendum est, quod duella ex hoc textu damnentur. Bonus quoq; hanc in rem textus est in L. 13. §. 3. de Usufr. ubi disertè traditur,

traditur quod contententes invicē seu rixantes prætor non ad ar-  
mā permittere; sed potius jurisdictione sua componere debeat.  
Conspirat Jus Canonicum in Can. Monomachiam 2. Quæst. 4.  
cap. 1. X. de vulg. purg. cap. 1. de cler. pugn. in Duell, vide fusè hanc  
in rem Berlich. part. 4. Concl. 16. Hinc non male tradit Carpz. in  
Pract. Crim. P. 1. q. 29. n. 71. Duella omni jure divino, Canonico,  
Gentium & Civili prohibita esse, eò, quod provocans contra  
DEUM, Magistratum, & se ipsum deniq; peccet, quos articu-  
los per rationes & textus latius confirmat Berlich. c. 1. & no-  
viter accuratas rationes hanc in rem affert Magnif. Dn. Ziegler. ad  
Grot. lib. 2. cap. 1. n. 15. jung. Wissenbach. p. 2. Disp. 8. ad ff. th. 16.  
Id porro ex modo dictis consequitur quod merito pœna ordina-  
ria L. Cornel. plectendus sit provocans vid. Berlich. c. 1. n. II. seqq.  
Carpz. pr. Crim. p. 1. q. 29. n. 91 seqq. Eckolt ad tit. ff. ad L. Cor-  
nel. de Sicar. §. II. An vero idem de provocato erit dicendum?  
Negavit hoc Carpzov. p. 4. C. 10. D. 1. & 2. & in Pract. Crim. P. 1.  
q. 29. n. 75. seqq. cum quod provocatus ad occidendum moveatur  
justo ac intenso dolore L. 38. §. 8. ad L. Jul. de adulter. tum quod  
ignoscendum sit ei qui se voluit ulcisci provocatus L. 14. §. 6. in  
fin. de bon. libert. Quam sententiam etiam sequitur Eckoltus c.  
1. eademque in jure quidem Saxon. expresso textu P. 4. C. 10.  
ubi sancitum reperitur: *Würde sichs aber zutragen / daß der / so  
durch Ehrenverlesliche Worte gefordert den Provocanten entleibe-  
te / so soll er in Erwegung der P. röhnen Umstände mit ordentl.  
Straffe der Todtschlagere nicht belezet. Sondern willkührlich als  
mit Landesverweisung und dergleichen gestraffet werden. Sed verò  
contrarium noviter sancivit Serenisl. Elector. Saxon. in Mandato  
Elect. Sax. die 19. Julij Anno 1665 publicato his verbis: welcher aber  
den andern provociren und fordern oder zum duelliren und halben  
es sey zu Ross oder Fuß begehren würde / wie nicht weniger der je-  
nige / so auff solches Erfordern / besprechen oder empfangenes Car-  
tell sich hier zu stellet und erscheinet / derselbe / er sey Beleidiger oder  
Beleidigter / soll ohn Unterscheid sampt seinen adherenten / Be-  
schicks-Leuthen und Benständen den Kopff verlohren haben / und  
ohne Churfürstl. Gnade mit dem Schwerdte von Leben zum Tode  
gebracht werden. Id quod iisdem verbis etiam legitur in manda-  
to, d. 20. Septemb. 1665. edito & repetito à Serenisl. Saxone in*

Etione die 5. Octobr. Anno 1670. promulgata ibi Im Fall aber eine Entleibung vorgehet / verbleibet es allerdinges bey der in obgedachter unser Policen Ordnung und unsern am 20. Septembr. Anno 1665. publicirten Mandato soviel die Leib und Lebens-Straffe betrifft exprimirten poen. &c. Quam sententiam jam ante propugnavit Wissenbach. tit. ff. ad L. Cornel. de Sicar. th. 16. eod; quod uterq; de-liberato vim injuriamq; illaturus in singulare certamen descendat, spreta vindicandæ via judiciaria. Quod in tantum verum existimat venerandus Ordinarius noster Dn. Ziegler, ad Grotium de J. B. & D. lib. 2. cap. 1. n. 15. ut Vir equestris in aula Principis provocatus non debeat ejusmodi se pugnae committere, quamvis sciat, officio suo, dignitate & favore Principis sese excidere, nisi comparuerit. Nec enim satis videtur tutum aulae in urgenda monomachia erranti parere, ac favorem aulae bonaq; sua propriae charitati praeferre.

*Ad L. XI. pr. & L. 52 §. fin.*

Titius & Cajus pila ludunt ac prope istum locum tonsor radit barbam servi Sempronii, Titius vehementius pilam percutiens tonsoris impellit manum, ut is cultello praecidat servi gulam, quaeritur an, item contra quem & qualem actionem fortiaur sempronius? Respondet Mela in genere, cum teneri actione L. Aquil. penes quem fuerit culpa. Ac cum Proculus tonsori culpam in specie adscriberet, explicat hoc Mela de eo casu, quo ipsi aliquid imputari potest, ut potest ibi totonderit, ubi ex consuetudine ludebatur, vel ubi frequens transitus erat Ratio quidem dubitandi esse poterat, quod cesset L. Aquil. actio quoties damnum casu magis datum est, quam culpa L. si ex plagis §. 2. §. fin. h. t. quæ procul hic a tonsore, qui rei licitæ operam dedit, abesse videbatur. Ast ratio decidendi potissimum in eo statuenda, quod omnis culpa ad casum fortuitum ordinata committenti noceat L. ult. Commod. conf. Gail lib. 2. obs. 22. n. 7. Coll Arg. tit. ad L. Cornel. de sicar. th. 12. ibiq; cit. Covar. Adjicit casum adversum Ictus, quod servus aliquando etiam culpa possit imputari, ut pote si tonsoti in periculoso loco fellam habenti sese commiserit. Quæri hinc poterat, quando tonsor teneatur & quando læsus sibi imputare periculum debeat? Putaverim id ex circumstantiis aestimandum. Nam si servus fortè peregrinus aut cæcus fuerit, culpa manebit penes tonsorem: si servus urbanus visendiq; facultate præditus ex temeritate fortè ad tonsuram

in

in ejusmodi loco periculis exposito proceſſerit, vel etiam ipſe ſer-  
 vus temerarium tonſorem eſſe pernoverit, hærebit ipſe in culpa  
 conf. Gloſ. ad h. L. lit. H. & J. Sed ergone ideo pila ludens & percu-  
 tiendo manum tonſoris tangens itaq; damnum dans erit planè im-  
 punis? Videtur reſpondendū, quod ſic per L. 52. §. ſin. h. t. ubi recurrit  
 ratio, quod caſu magis, quam culpâ damnum factum cenſeatur. Qvî  
 textus generalis ex §. 4. Inſt. h. t. ulterius declarandus eſt, cujus te-  
 norem aliàs notiſſimū & ab Interpretibus ad naſeam uſq; inculca-  
 tum, hîc ſuperaddere in præſens ſuperſedeo Id potius hic mihi noto  
 ex præſenti textu L. XI primū, quod pilarum luſus apud Romanos  
 fuerit licit⁹. Erat verò ille luſus juvenum in Martio campo fieri ſo-  
 litus, de quo videatur Alexander ab Alexandr. Genial. dier. lib. 3.  
 cap. 21. p. m. 400, ibiqve Andr. Tiraqvell. Lit. M. O. P. & pag 399. ubi  
 in ſimul differentiam tradit. Alterum notabile ſuppeditant verba  
 finalia, quod nempè damnum quod quis culpâ ſuâ ſentit, non ſen-  
 tire intelligatur L. 20. de R. J. Culpa enim cuiq; ſua non alteri no-  
 cere debet L. electio 26. §. ſin. de Noxal. Act. conf. Ludvv. ad c. L. 203.  
 n. 1. & vide aliud non minus elegans exemplum hanc in rem, in L.  
 ult. ff. commod.

*Ad L. ſi Servus. 27. §. 9.*

Titii Coloni ſervus fornacarius ſeu cui ignis cura in forno  
 ſeu fornace commiſſa eſt, ignem ſubjicit fornaci & obdormit ad  
 eandem; ignis malè ita cuſtoditus nec debite obſervatus, evaga-  
 tur & fomentum naſtus comburendo conſumit villam. Qværi-  
 turan Titius Domino, à quo conduxit villam eo nomine & qvâ  
 actione teneatur? Reſp. Neratius: Titium conveniri actione lo-  
 cati poſſe ac ita conventum damnum reſarcire debere; ſiquidem  
 negligens in eligendis miniſtris fuerit. Ratio dubitandi eſſe po-  
 terat, quod nullum hîc factum conductoris culpabile intervenerit,  
 ipſe enim nec ſubjecit ignem, nec obdormiendo ipſum evagari  
 paſſus fuit. Qvin reſpectu conductoris videbatur eſſe caſus fortui-  
 tus, qvî in nullo bono fidei iudicio præſtatur L. 6. C. de Pignor.  
 act. jung. L. 23. de R. J. & res qvælibet Domino perit. L. 9. de Pign.  
 Act. Conf. Vinn. Qvæſt. illuſt. Lib. 2. cap. 1. Struv. Ex 19, ad ff. th.  
 43. Rationem decidendi ipſe ingerit Ictus, quod ſupponendum ſit,  
 Dominum in eligendis miniſtris fuiſſe negligentem. Imputari  
 itaqve ipſi poteſt, quod tam ſegnium curâ ſervorum in cuſtodiendo  
 igne fuerit uſus. Unde ſurgit culpa levis; ſiquidem diligentes Pa-



resfam. de probis quoque ac frugi ministris sibi prospicere solent  
arg. L. 32. Deposit. ne domesticorum negligentiam incendium exo-  
riatur, quod tamen adhibitam consuetam boni Patrisfamil. diligentiam  
præcaveri potuisset. L. n. de peric. & Com. rei vend. Accedit quod  
culpa levi obnoxius sit, quicumque non providet, quod a diligente  
provideri potuit L. si putator 31. h. t. Conf. Vinn. ad §. 2. J. quib.  
mod. re contra oblig. n. 9. de cætero conductorem levem culpam  
præstare teneri quis ignorat? vid. L. 5. §. 2. Commod. Junct. L. 23.  
de R. J. Insequitur jam alius casus in textu. Mevius subjicit for-  
naci ignem, Stichus negligenter eundem custodit, flamma erum-  
pens dat damnum, quaeritur, an & quisnam ex iisdem id resarcire  
teneatur? Poterat videri quod neuter eo nomine adstringatur.  
Nam Stichus, qui debitam omisit diligentiam, nihil fecit, h. e. nul-  
lam commisit culpam. Cessat ergo Legis Aquil. actio, quæ vin-  
dicat damnum injuriam datum seu illatum, L. sedet si 31. de furt. L. 1.  
pr. de Injur. Conf. Ludw. ad pr. J. h. t. Nam ut actio ex. 3. L.  
Aquil. capite competat aliquid ustum aut fractum vel ruptum esse  
oportet §. 13. J. h. t. Atque nec alter, qui ignem rectè subjecit quic-  
quam peccavit. Sed verò æque utili L. aquil. actione teneri eum,  
qui ad fornacem obdormivit, quam eum qui ignem negligenter  
custodivit hic Jctus decidit. Qui enim custodit segniter ignem,  
in omittendo culpam admisit. vid. L. 121. de R. J. L. 23. pr. Locat.  
L. 30. §. 3. h. t. dum scilicet, haud debitam diligentiam in officio, quod  
ipsi incumberebat, adhibuit. Jam qui non facit, quod facere debet,  
videtur facere adversus ea, quia non facit indeque culpa reus est.  
conf. c. L. 121. ibique Ludw. n. 1. Alterum casum, per modum occu-  
pationis dilucidat Jctus. Quamvis enim is, qui obdormivit, pos-  
sit causari se rem esse humanam & naturalem passum, nam & homi-  
nem somno naturali oppressum non habere rationis usum & idcir-  
cò dementi imò mortuo comparari. Plato lib. 7. de Leg. tom. 3. consil.  
29. n. 3. junge. Covarruv. in cap. si furiosus de homicid. Relect. part.  
3. §. unic. n. 6. Unde & Aristoteles 5. de Generat. Animal somnum  
ex sua natura talem esse prædicavit, ut animal inter esse & non esse  
constituat, ut vix vivere dici possit, qui dormiat; tamen quia vigi-  
lia ipsi incumberebat non parçitur vitio ejus naturali, sed potius ipsi  
incubuisse vel ignem extinguere vel ita munire ne evagaretur h. L.  
quicumque igitur non adhibuit diligentiam quam debuit in  
præcavendo & dormiens alicui nocuit puniendus venit, uti in simi-  
li tra-



hi tradit Covarruvias Tom. 1. Clementin, si furiosus de homicidio part. 3. n. 6. Atq; hinc Benevenutus Stracha Anconitanus Tract. de conturbat. sive Decoctor. part. 2. n. 13. Instar principii supponit, quod dormiens non delinquat, nisi præcesserit causa, quare debuisset vigilare eamque in rem ipsum hunc textum nostrum allegat, conf. Paul. Zachiam cit. l. Tom. 1. Lib. 2. tit. 1. quæst. 21. Dum verò Jctus utilem hic concedit actionem, ratio in obscuro non est, quoniam ejusmodi negligentes est & dormientes non corpore in corpus, sed alio modo damnum dedere §. fin. J. h. t. Et verò ubi longius proceditur atq; ex scripto & sententiâ controversia orta actio inducitur per interpretationem & extensionem aliquam, tanquam ex mente legislatoris, ea non directâ, sed utilis est, quoniam vi & effectu juris à directâ non differat. Vinn. ad cit. §. fin. n. 3.

*Ad L. Quemadmodum, 29. §. 2.*

Navis Titii in Caji scapham impellitur seu incurrendo quasi combinatur & ita damnum facit quæritur an & quæ actio competat Cajo? Respondet Proculus distinguendo, aut accidit illa collisio nautarum culpâ & Lege Aquil. agendum esse ut casu eadem navis in scapham illisa est & non posse eo nomine cum Domino agi. Prioris membri distinctionis ipse Jctus hic reddit rationem, quod parvi referat, an navem immittendo, an servaculum ad navem ducendo, an sua quis manu damnum dederit, quia his omnibus modis per alterum quis damno afficitur. Nimirum perinde esse putat, quoad effectum Jctus utrum, immediatè corpore in corpus, an vero mediatè navem scil. immittendo, aut servaculum ad navem ducendo damnum nautæ dederint. vid. §. ult. f. h. t. & similia exempla in L. 7. §. 6. & th. 1. Illud hic prætereundum non est, quod variet admodum hic lectio textus. Holoander enim hic legit pro servaculo, ferriculum. Gloss. verò ad h. L. Lit. J. hunc modum: *aut gubernaculum à nave ducendo.* Alii aliter uti prolixè videre est apud Gothofredum ad h. l. n. 32. & Benevenut. Strach. Tr. de Naut. part. 3. n. 43. Nos in harem Florentinæ lectioni & per servaculum hic intelligimus scapham, cui vel interdum nautæ tempestatis tempore se committunt, vel ipsos pisces servandos. vid. Gothofr. cit. L. Quamvis enim Hottomannus existimaverit servaculum hic ab Ulpiano appositum esse pro anchora, eò quod anchoram tollendo scapha proxima noceri potuerit, tamen huic textui melius quadrat significatio altera, quæ servaculum scapham denotat conf. Calepin. in Lexic. hic. Ex. ad verbo Glossæ lectio **nis**

mis contorta videbatur : siquidem illam phrasin gubernaculum à nave ducere ita interpretari , ut idem sit ac illud remove con-  
cinnae Latinitati , cui aliàs eximiè studuerunt J C tivix convenire  
videbatur. Haloandri verò lectio à nostrâ in effectu non multum  
abhorret. Alterû distinctionis membrum est, si fune rupto, aut cum  
à nullo regetur navis incurrendo damnû dederit & cû domino a-  
gendû haud est. Pone navis stat in anchoris subita tempestate funes  
rumpuntur & ita datur damnû, qvaritur an cum domino eo nomi-  
ne agi possit ? Et ita quidem statuit Anton. Faber ad h. l. Lit. A. &  
ideò etiam tollit particulam negativam in hoc textu, eo quod in  
culpa sit dominus, qui aut navem suam bonis funibus non instru-  
xerit, aut gubernatore à quo regi possit: sed nos merito iterum  
preferimus Florentinam lectionem. Quamvis enim Anton. Fabri  
lectio suppositis certis terminis habilibus nihil alat monstri, utpo-  
te si navis à domino sine gubernatore in flumen vel mare immissa  
esset. Sicut enim ex imperitiâ propter malos ministros culpæ reus  
est dominus, ita & si ministros in navi necessarios non adhibuit  
atq; imposuit. conf. Benevenut. Strauh. tr. de Naut. part. 3. n. 46.  
seqq. tamen quod accurate Bachov. ad Tr. Vol. 1. disp. 18. th. 5. Lit.  
C. advertit ad emendandos textus satis non est, si ex vulgata lectio-  
ne, commodus quoq; elici potest sensus. Nam & negativa lectio  
ex ipsa particulâ *Sed* satis stabilitur, quæ adversativam commu-  
niter infert, quâ usus non fuisset J C tus si ut in antecedente casu  
culpam nautarum; ita hic domini negligentiam supponere voluif-  
set. Eleganter hanc in rem commentatur Benevenutus Stracha  
cit. 6. n. 465. his verbis : *Unde necessarium credo interpretandum  
versiculum & factum eo ponendum, in quo & nautarum & domini  
cessat culpa propter illam adversativam, Sed si : de qua supra dixi-  
mus. Et si quis Palinuri casum in vers. predicto fingeret satis qui-  
dem judicio meo congrueret de quo prestantissimus Poëtar. ait :*

*Namq; gubernaculum multa vi forte revulsum*

*Cui datus herebam cunctos cursusq; regebam*

*Præcipitans traxi mecum & c.*

*Ortâ scil. adversa tempestate, quâ ductore seu gubernatore omisso, si  
navis in currendo cum temperari non potuerit damnum dederit, cum  
culpa absit neq; in nautas neq; in dominum actio danda sit. Hac ille  
ulterior ratio peti ex eo potest, quod casus fortuiti à nemine  
præstentur, uti in præcedentibus jam fuit demonstratum*

Tantum hac vice

S O L I D E O G L O R I A !







Wittenberg, Diss., 1674-75  
X 241 8708

VD 17







7316

Q. D. B. V.

1675 12/35

DISPUTATIO JURIDICA IV.

AD

# Libr. IX. Tit. I. & II. ubi

de Noxiâ animalium & Lege Aquiliâ,

selectiores quasdam Leges,

QUAM

## CONSENTIENTE MAGNIFICO

JCTORUM ORDINE,

### PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CONSULTIS-

SIMO atq; EXCELLENTISSIMO,

## DN. GODOFREDO Strauß /

Philosoph. & J. U. D. Institutionum Prof. Publ. longè ce-

leberrimo, Curia Elector. Scabinatus & Inclytae Facultatis Juri-

dicae Assessore Gravissimo.

*Patrono, Fautore ac studiorum suorum Promotore omni obser-*  
*vantiae cultu de venerando.*


publice ventilandam exhibet

## PAULUS HERMANNUS,

Torgâ-Misn.

IN AUDITORIO JCTORUM,

Ad diem II. Decembr. Anno MDC LXXV.



WITTEBERGÆ,

STANNO WILCKIANO.

